

&c. usque ad verba: *Quod medium dicitur, commune est.* &c. Post fol. 101. avulsa est pars Serm. XIX. in *Pf.* CXVIII. ab his verbis: *iniquitatis alienae. denique sequitur et dicit* — usque ad verba Serm. XXIX. *Quod est christus ihesus. Vnde hec ergo iste* &c. Post fol. 111. deficit *Pf.* CXXII. a verbis: *berendo illi ascendere* — ad verba: *proficisci vis longius. Da mihi sed da mihi* &c. quae sunt post medium *Pf.* CXXIII. Item post fol. 141. *Pf.* CXXXVI. a verbis: *et fit minor tempore* — ad verba *Pf.* CXXXVIII. *quia filius unicus dei dicit. Domine probasti me* &c. Item post fol. 145. *Pf.* CXXXIX. a verbis: *inter quos malos gemit* — ad verba *Pf.* CXLII. *Saulus in terra Christum in caelo sedentem* &c. Item post fol. 157. initium *Pf.* CXLVI. usque ad verba: *mentis meae et captivum me ducentem* &c. Demum in verbis *Pf.* CXLVII. *nisi spectacula. ne putent gentes se habere* — deficit *Codex*, quem ita misere multatum sane dolendum est. Exegimus eum ad Editionem Maur. ut jam supra dictum est.

CCCXXV.

R. 3084 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 229. f. maj. paene quadro, per duas columnas luculente pulcreque perscriptus, rubricis distinctus, et cum tot aliis claris Codicibus olim *κρυμμεναι* Coenobii Montis Pomerii Ord. Cist. in Austria super. complectitur D. *Augustini Enarrationes in I. Quin-*

quagenam Psalmorum ita comparatas. In nomine domini nostri ihesu christi incipit prologus Aurelii Augustini de laude psalmorum. Initium: *Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum* &c. Augustino in Editis olim tributum, sed non in omnibus *Mss.* reperiuntur testantur Mauriani; nec mirum, cum sit *Basilii* Prooemium in Psalmos Paraphraste *Rufino*. Sequitur alia Rubrica: *De Virtutibus psalmorum*. Nihil de hac Mauriani. Incipit: *Prophetie spiritus non semper prophetarum mentibus presto est, quatinus cum hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habere, cum habent.* Id quod illustratur *Elisaei* exemplo Psalten adduci iubentis. Tum vero ostenditur multiplex e frequentatione Psalmorum utilitas, descendendo etiam ad particularia, Psalmosque nominatim suggerendo, quos pro vario animi statu recitare sit opportunum. Et extat Libellus Sec. XV. *f. l. et a. 4.* impressus titulo *Augustini de Virtute Psalmorum*, qui partem Rubricae nostrae delibat. Illam excipit in Codice tertia: *De laude psalmorum*, pariter *Maurianis* intacta, et incipiens: *Canticum psalmorum corpus sanctificat, animas decorat, inuitat angelos in adiutorium* &c. atque hujus magnam partem *Remigius Autissiod.* suae *Enarrationi in Psalmos* titulo *Diectorum S. Augustini* praemisit, ut videre est *Biblioth. PP. Lugd. T. XVI. col. 1044.* Ut meam de duabus his Rubricis mentem aperiam, ipsum vocabulum *Diectorum*, quo *Remigius* utitur, innuit, eas *Augustini*

non esse, lectas tamen jam olim cum ex ejus, tum aliorum PP. Locis, quibus Psalmorum elogia continentur, atque a Descriptoribus magna libertate auctas, contractas, inter se confusas. His porro praemissis, et primis foliis errore Compactoris aliquantum turbatis ipsae Augustini Enarrationes a litera B, quae Psalmo I. initium dat, totam paene paginam implente et magnifice depicta ordiuntur, cui e latere interiori minio adscriptum: *Incipit expositio beati Augustini episcopi a psalmo primo usque ad quinquagesimum primum*; et paulo infra literis quadratis colore laetissime variantibus: *Eatus Vir Qui non Abiit In Consilio Impiorum*. Textum, quoad contuli, valde sincerum reperi. Miniata Subscriptio est: *Explicit de psalmo L. pars prima*. Πάρεργα sunt sequentia: 1) *Oratio*, quam post singulos Sermones ab Augustino dici solitam Mauriani T. IV. col. 1698. post Psalm. 150. exhibent: *Conuersi ad dominum deum &c.* 2) *Præfatio sancti Jeronimi presbiteri super psalterium*. Nota illa ad Paulam et Eustochium: *Psalterium Romæ dudum (positus) emendaue-ram &c.* 3) Psalmus ille spurius: *Puillus eram inter fratres &c.* Ante quem monetur: *Hic psalmus proprie scriptus est a dauid extra numerum, quando pugnavit aduersus goliath.* Et ad calcem: *Hic psalmus in hebreis codicibus non habetur. sed nec a LXX. interpretibus editus est. et idcirco repudiat.* 4) Index Psalmorum XLI. addita opportunitate, quando di-

cendi, v. g. *Ad maiores operas uicesimus septimus. Vt oculum pudice agas primus. De uigiis in grabato sextus &c.* 5) *Brevis Catechesis: Psalmus quid est? Psalmus est concertus organi atque modulatio &c.* Ita quaeritur de *Cantico, Diapsalmate, Doctrina Psalmorum, et Alleluia*, de quo ultimo fat inepte respondetur. Interim haec Rubricis illis III. praeuiis conjuncta Adparatum aliquantum in Psalmos conficiunt.

Folium ult. haec duo habet: *Hii uersus digito dei scripti et reperti sunt a quodam sancto heremita in psalmo. Exurgat deus. Vaticinium puta, quod incipit: Excitabitur romanus contra romanum. et romanus romano substituetur romæ. — Leo substituetur agnis, et agni leonis depredabuntur.* Cetera omnia Effata generalia sunt, minimeque in Heraldicis se versatum esse ostendit Propheta. Nota altera incipit: *Hee reliquie sunt recondite in Altari Sancte Marie Magdalene.* Videlicet in Coenobio Pomerii Montis. Longus est Divorum utriusque Sexus Catalogus, in quo mihi Virginum Sambanae, Patrivaliae, et Guonhildae ignota Nomina.

CCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3259 XII. Folior. 190. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus et minio illustratus est *Pars I. D. Augustini Enarrationum in Psalmos.* Primum Πόλεγομενα videamus. *De Laude Psalmorum.* Initium: